

DE PORPHYRIO

Quicumque vitam lectitat Plotini, quam Porphyrius eius discipulus composuit, permultis locis textum huius libelli corrigere cogitur, quippe qui mendis grammaticis, intellectus nonnunquam obscuritate, erroribus palaeographicis displiceat. Nova nunc enneadum Plotini editione per viros doctos Paul Henry et Hans Rudolf Schwyzer (Parisiis, 1951) facta, etiam illa vita Plotini multis codicibus manuscriptis tam abundanter recensita videtur, ut de vitae quoque Plotini verbis multo certius quam antea queat diiudicari. Cum Porphyrius ipse optimus prosae orationis magister et artifex ac philosophus insignis fuerit, ex hac utraque ratione iam vita Plotini debet emendari. Eae denique quae infra secuntur observationes criticae secundum paginas lineasque Plotini operum primi voluminis indicantur, quod Henry et Schwyzer ediderunt.

c. 1 p. 1, 8 συγχωρεῖν <με> αὐτὸν ἀξιοῖς πολυχρονιώτερον καταλιπεῖν...

Oratio recta sententiae his verbis οὐ γὰρ ἀρκεῖ coeptae modo rectae dictioni quoque ita continuata erat, ἀλλὰ καὶ usque ad finem quaestionis... ἀξιοθεάτων ἔργων. Propterea sic emendetur oportet ut supra Graece proposui; lapsus enim ab oratione recta in obliquam formam mori Porphyrii eleganter eloquendi minime convenit.

c. 1 p. 1, 10 ἀπαγορεύοντος <αὐτοῦ>.

Subiectum genetivi absoluti est αὐτοῦ = Plotini, quod pronomen post ἀπαγορεύοντος per haplographiam (-οντος et αὐτοῦ) excidit.

c. 2 p. 2, 11 ἀποπλεύσαντος δ' ἐ<μοῦ> (=ἐμοῦ).